

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**MEMORIAE || Viri optimi & doctissimi || M. NICOLAI GO=||NIAEI, HEBRAEAE LIN-
||guae in Academia Rhodo-||politana Doctoris || fidelissimi.|| PROGRAMMATA ||
et carmina collegarum || et amicorum.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1590

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895879980>

Druck Freier  Zugang



Goniaent. Visc.

1590.

K

14037



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn895879980/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895879980/phys_0001)

Gebunden bei
R. Fuchs
Hof- u. Universitäts-
Buchbinder

MR - 14037



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn895879980/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895879980/phys_0002)



MEMORIÆ 3
Viri optimi & doctissimi
M. NICOLAI GO-
NIÆI, HEBRÆÆ LIN-
guæ in Academia Rhodo-
politana Doctoris 188/33 II.
fidelissimi.

PROGRAMMATA
& carmina collegarum
et amicorum.



ROSTOCHII
Typis Myliandrinis.
Anno CI CI XC.



1930. VIII. 34

PRORECTOR

Academie Rostochiensis

LVCAS BAC MEISTE-
rus, sacrae Theologie Doctor
& Professor.



Ecessit ex statione sua in
hac Academia, Deo sic
volente, & euocante,
vir doctrina, pietate &
virtute excellens Do-
minus M. NICOLAVS
GONIÆVS, Hebreæ linguae Professor,
Collega noster carissimus: translatus in
cœlestem Academiam, ac beatitudi-
nem, vbi ipsum filium Dei doctorem &
Saluatorem nostrum unicum coram cer-
nit & audit, enarrantem mysteria à se-
culo recondita, & perfectam sapientiam,
Deiq; ac rerum diuinarum omnium no-
titiam ipsi impertientem. Etsi autem
beatam hanc migrationem, quæ non
mors, sed somnus & lucrum est, ac fe-

lxix transitus de labore ad refrigerium, de
exspectatione ad præmium, de agone
ad brauium, de morte ad vitam, de fide
ad notitiam, de peregrinatione ad pa-
triā, de mundo ad patriā, ut Bernar-
di verbis vtamur, meritò ipsi gratula-
mur; tamen Academiæ nostræ, & fa-
miliæ ipsius causa dolemus. Vixit e-
nīm nobiscum in hac Schola annis con-
tinuis triginta, singulari cum laude pie-
tatis, modestiæ, φιλησοχίας, diligentia
& fidei in officio suo, reuerentiæ erga
superiores, grauitatis in tuenda disci-
plina; ideoq; charus fuit collegis omni-
bus. Patriam habuit VVestphaliæ op-
pidulum Hulst, in quo ex honestis qui-
dem parentibus, sed tenuioris fortunæ
natus fuit. Cumq; proptet eorundem
præproperam mortem, & forte etiam
inopiam, studia litterarum colere non
posset; neq; etiam ad ea ab amicis adhi-
beretur: puer adhuc militiam equestrem
aliquamdiu secutus est, nobili cuidam
seruiens. Ac nominatim fuit in castris
Caroli V. Cæsaris obsidentis Metim, vr-
bem

bem Lotharingiae, Imperio paulo ante
detractam à rege Gallico, Anno 1552. Interfuit etiam alijs expeditionibus, quum
turbata bellis ciuilibus Germania, varijs
vbiç̄ motus essent. Postea adultior de-
mum studijs, ad quæ naturæ ducu fe-
rebatur, animum applicuit: & in Scho-
lis aliquot Vestphalicis bonas litteras &
linguas summa diligentia didicit. In-
primis autem Temhardum Nagelium,
virum doctissimum, & trium linguarum
peritissimum, quo præceptore in Scho-
la Lippiensi usus erat, prædicare & ma-
gnificere solebat. Deinde in comitatū
cuīusdam Comitis Schaumburgensis
Vitebergam adjit, vbi Philippum Me-
lanthonem, & alios, id temporis viros
præstantes, & inter hos etiam Iohannem
Forsterum Theologiæ Doctorem, &
Hebrææ linguæ professorem excellen-
tissimum audiuit. Inde cum Rosto-
chium venisset, statim propter eruditio-
nem, animiç̄ moderationem, & usum
aliquem humanæ vitæ, in varijs casibus,
peregrinationibus, & dura militia per-

A 3

ceptū

ceptum, Professoribus huius Academie
innotuit. Quos cum & ipse omni stu-
dio & officio coleret: horum opera ad
pædagogias primum, deinde etiam ad
munus institutionis iuuentutis in Scho-
la, tum vicina templo S. Iacobi promo-
tus fuit. Postea in Professorum nume-
rum assitus, præfuit aliquot annis Mo-
nasterio Fratrum, & lectionem Gram-
maticam seu pædagogicam, ut vocant,
publicè proposuit. Euocato autem ex
hac vita optimo & doctissimo sene, M.
Andrea VVeslingo, Hebrææ linguæ
Professore, in locum eius & professio-
nem surrogatus est. Audiuerat antea
Coloniæ Iohannem Isaacum, ex Iudæo
Christianum factum, virum in Hebræa
lingua eruditissimum & celeberrimum,
quem sœpe honoris causa, præceptorem
suum nominare solebat. Et iam mari-
tus, peregrinationem suscepit, in Aca-
demias fere omnes superioris Germa-
niæ, eam maximè ob causam, ut Hebrææ
linguæ scientia celebres adiret, & fami-
liari cum ijs collatione instituta, redde-
retur

retur doctior. In hoc itinere Tremme-
lium Heidelbergæ, Schreckenfuchsium
Friburgi in Brisgoia, Dachtlerum Tu-
bingæ, & alios alibi vidit & audiuit.
Non igitur rudis accessit ad hanc Pro-
fessionem, sed eruditus & confirmatus
præstantium in ea lingua virorum, do-
ctrina ac iudicio. ideoq; multis eandem
linguam in hac academia dissentibus,
opera ipsius & industria profuit. Tan-
dem ante triennium, in morbum inci-
dit lentum & varium, quo vires corpo-
ris & animi antea firmissimæ, admo-
dum fractæ sunt. Et accessit superiori
anno tristis casus domesticus, coniuge
cius ex hac vita euocata, & liberis qua-
tuor nondum pueritiam egressis, post se
relictis. Qui casus ita morbum auxit, ut
& naturam, & omnem Medicorum cu-
ram, demum superaret. Compositis er-
go rebus suis, ad migrationem ex hac
vita beatam & tranquillam sese iam ali-
quot septimanis parauit. Ac nudiuster-
tius intra tertiam & quartam pomeri-
dianam, in vera agnitione & inuocatione
filij

filij Dei, voce & sensibus ad extremum
usque spiritum integris, placidissimè ob-
dormiuit; cum quidem eo die, cum mi-
nistro Ecclesiæ et Collegis, alijsque amicis,
eum inuisentibus, multa, de victoria per
Christum contra mortem parta, de re-
surrectione mortuorum, de vita & gloria
piorum æterna, collocutus esset: libe-
rosque suos iam planè orphanos futuros, à
patre & matre derelictos, sed à Domino
suscipiendos, ipsis commendasset. Est
igitur haud dubiè in eorum numero, de
quibus scriptum est: Beati mortui, qui
in Domino moriuntur. Funus autem
fiet huic Collegæ nostro M. NICOLAO
GONIÆO, hodie media prima, ad quod
honorificè deducendum ad sepulturæ
locum, ut omnes Doctores, Licentiati,
Magistri, & studiosi iuuenes conueniant
in templum D. Iacobo sacrum; & hoc
postremo officio suum erga hunc opti-
mum virum, de hac Academia, & mul-
torum studijs benè meritum, amorem ac
gratitudinem declarent, etiam atque etiam
hortamur. P.P. 17. Nouemb. Anno
1589.

DECA-

DECANVS COL.
legij Philosophici
M. ERASMVS STOC-
mannus S. D.

Darius rex Persarum tertius,
scribitur amissa coniuge,
quam vnicè dilexerat, De-
mocritum, magni nominis
virum, doctrinæq; laude ijs temporibus
clarum, multis precibus ac pollicitatio-
nibus accersitum ad se sollicitasse, vt si
quid compertum haberet, suo dolori
mederetur. Ibi tum Philosophum, cum
nullo alio modo consolari Darium pos-
set, respondisse, se illi mortuam vxorem
resuscitaturum esse, si rex ad id nego-
cium res necessarias suppeditare vellet.
Cumq; rex, concepta inani spe, sumptus
ad remediorum inuestigationem ingen-
tes promitteret; non alio opus esse re-
medio Democritum dixisse, quam No-
mina trium fœminarum Δατενδήτων id est,
quas nemo vñquam luxisset, (seu qua-

A 5 rum

rum vita omnium miseriarum expers,
ad iustam ætatem producta fuisset) Reginæ sepulchro inscriberetur: Sic enim futurum, ut sponte tum à morte expergeheret regina, atque in vitam rediret. Cum autem hoc responso accepto Darius denuo hæreret, neminemque reperiret cui non triste aliquid accidisset; Democritus, pro consuetudine sua ridens, Et, tu inquit ineptissime omnium non vereris lugere, quasi vniuersitati mali particeps? cum neminem eorum, qui vñquam fuerunt, sine peculiari aliquo dolore vixisse reperias? Hac narratione, ex quadam Imp. Iuliani ad Amerium Epistola consolatoria desumpta, significatum est illud ipsum, quod dulcissimis Menandri versibus exponitur:

Βροτοῖς ἀπασι κατζενεῖν οφείλεται. id est.
Mortalibus omnibus mori necesse est. Et,

τὸ ζῆν ἀλύπως, ἀνδρὸς εἶναι εὐτυχοῦς. h. e.
Vivere sine tristitia viri est felicis. Item

κακός

μακρὸς γένος Βίος οὐ μόνος τὸν θάνατον φέρει.

Longa enim vita calamitates multas patitur.

Etsi enim hæc tam præstans hominum natura, neq; ad huius tantum fugacis vitæ voluptates perfruendas, aut etiam miseras sustinendas, multo minus ad tristissimam illam animæ atq; corporis dissolutionem, & æternos dolores condita est: tamen immutabili decreto, atque ordine Iustitiae diuinæ ita postulante, fieri aliter nequit, quām ut peccato corrupta, depravataq; natura, morte aboleatur: & dum hac luce vitali fruitur, multis obijciatur periculis, atq; casibus exerceatur varijs, plurimaq; sustineat aduersa, quæ & breue hoc curriculum insuauius reddant: & desiderium alterius cuiusdam beatioris atque coelestis vitæ, in animis bonorum accendant. Hæc sapientia, non planè ignota senioribus philosophis, singularis est: verum longè tamen sublimior atque perfectior est ea, quæ, è verbo Ecclesiæ diuinitus tradito comparatur: quod, & vnde sit ingens naturæ nostræ infirmi-

tas

tas, atq; deprauatio, vitæq; fugacitas, &
ærumnarum multitudo demonstrat: &
simul, quibus præsidij animi, aduersus
omnia infortunia, ipsosq; mortis terro-
res muniendi sint, atque firmandi, per-
spicue docet: Suntq; in his terris beati
ac felices tantum ij censendi, qui hac cœ-
lesti sapientia instructi & eruditi, quæ-
cunq; accidunt, placide moderateq; fe-
runt: & in cognitione fiduciaq; Media-
toris & Saluatoris nostri, perfuncti mo-
lestijs vitæ huius, in medijs quasi labori-
bus obdormiscunt: gratamq; sui & ho-
norificam posteritati memoriam relin-
quunt. Hac humanarum rerum con-
sideratione, & vera Filij Dei inuocatio-
ne, eiusq; mortis ac passionis fiducia,
secundum Dei voluntatem, ex hoc mi-
sero corporis ergastulo, proximo die Sa-
turni, placida obdormitione quasi con-
sopitus, discessit, vir clarissimus & col-
lega plurimum colendus, M. NICO-
LAUS GONIÆVS, linguæ sanctæ
professor dignissimus. Cui cum funus
hodie futurum sit; nos, quod debemus,
& præ-

& præstare nunc possumus, viro optimo, & collegæ carissimo, memoriam nominis eius bonam gratamq; retinebimus: & honorifica funeris deductione corpus eius ad sepulturam, hora media prima dabimus, in æde, quæ collegio Philosophico adiuncta, atq; D. Iacobo sacra est. Ad quod funus, & ad concionem in hoc habendam, frequentes, dicta hora, ut conueniant, amanter inuitamus & rogamus, D. Doctores, Licentiatos, Magistros, & studiosos adolescentes, in hac Academia omnes: quod etiam bonos atq; intelligentes, cum propter ordinis nostri honorem, tum propter Christianæ quoque pietatis, ipsiusq; adeo humanitatis officium, libenter facturos esse confidimus. Cumq; non obscurum sit, quid morte immatura bonorum virorum significari soleat: suis quisque precibus Deo supplicet: & impendentes calamitates feria ad Deum conversione, vitaq; innocentia studeat auertere. P. P. Rostochij. die 17. Novembris. Anno 1589.

NICO

NICOLAO GONIAE
HEBRÆÆ lingua docto-
ri, viro optimo & doctissi-
mo, amico integer-
RIMO.

GONIA Den nobis dederat Transuersa tellus,
Altrix clara virum dextrisq; animoq; valentum.
Ille etiam fama maiorum, Martis alumnus,
Se dignum gesit puer horrida bella secutus:
Quem tamen ex acie media in sua templo retraxit
Pallas, & à Musis Sophiae decreta doceri
Iussit, ut ipse quibus mentem pectusq; polisset,
Pegeret hinc iisdem teneram formare iuuentam,
Has igitur iussus partes non segnis obibat,
Thesaurosq; etiam lingua pandebat Hebrææ,
Qua sine nec Mosen, nec prisca oracula vatum
Quisquam intelligat, aut referet mysteria cœli.
Nicolæ hæc vita fuit. Nam cætera spreuit,
Lætus sorte sua, nulli grauis, omnibus æquis.
Cultor amicitiae sincerus, fingere quidquam
Nescius, id referens quod teatum corde lateret.
Res etiam duras tolerauit pectore forti:

Coniu-

Coniugis occasum dilecta, & fata Colosij,
(Vnus hic illius germanus, auunculus eset
Goniadæ natis, iam pro genitore, nisi illum
Ante patrem abstulerat paucis sera Parca diebus,
Hunc luctum ut Gedano interea vix fama tulisset)
Tabificos morbos & crur fragam sceletyrben,
Tertius ipse quibus pressum non liberat annus.
Semper enim meditatus erat mortalia sacra,
In quibus ut priscos, sic te, me, viuere fas est,
Nec frustra indomito cruciari pectoris æstu.
Norat item sic velle patrem, cui fidere soli
Est pietas: huic se in morbis, huic funere in ipso
Se dedit. At vitae largitor tollere vitam
Sic veit, ut reddat delectis gaudia cœli.

DIEM SVVM OBIIT.

XVII. Kalen. Decemb.

JOANNES CASELIUS.

ROSTOCHII

CIC CI CIC.

MEMO.



MEMORIÆ NICOLAI
GONIÆI, amici desideratis.

ELEGIA
NATHANIS CHYTRÆI.

Tene etiam tam sincero viduatus amico
Heu cogor siticen funeris esse tui?
Et quem morte sequi nequeo, lugendo peremptum
Multoties, vnius cogor & ipse mori?
Morte ipsa grauiora dolens, & cassus amico,
Quo conforte olim fortius aspra tuli,
Optime Goniade, qui primo à flere juuentæ
Pars animæ fueras dimidiata mæs,
Dilectus juueni juuenis, carusq; viro vir,
Perpetuq; senex junctus amore seni.
Crecuit amor nobis hic cum erescitibus annis,
Nec minus est lapsu temporis aucta fides.
Quippe nec ambitio, nec cœps, nec amata voluptas,
Nec sine corde manus, nec sine mente soni
Vimen amoris erant huius; sed candor, & ardens
Ingenua & fidæ simplicitatis amor.
Libera lingua etiam, & patiens sine fraude moneri,
Et patula alternis auris utring; sonis.

Hinc

Hinc mihi dulce fuit totis tecum esse diebus,

Et toties tecum stare, sedere, loqui;

Nunc rus ire simul, mox nota reuise teclā,

Et miscere iecis seria dulce fuit.

Hinc, mens una velut regret duo corpora, plane

Velle unum, atq; unum nolle duobus erat.

Suspicio hinc nostros nunquam turbauit amores,

Sed mansit constans & sine labe fides.

Hinc, quod pragmatici vetuerunt credere, & unum

Quemq; cauere iubent & vigilare sibi,

Id pridem inter nos à multis funditus annis

Sublatum absq; omni labe metuq; fuit.

An non infelix igitur tua fata superstes

Lugeo, & obstreperis funera plango modis?

Vix ulli nam flebilior, nisi pignora forte

Coniugij excipias, occubuisse potes,

Quam mihi, qui, à tanto discessus amicus amico,

Dimidio video pene carcere mei.

Sed satis. æternæ reliqua est spes certa salutis,

Quæ quia vita breuis nec procul esse potest.

Tum renouabuntur diuulsi hi rursus amores,

Quorum nullo unquam tempore finis erit.

Interea, celebrando breui te carmine, lucum,

Conabor, si sit fas, releuare meum.

Bructera Goniaden tellus dedit, inelyta pridem

Magnorum genitrix marте togaq; virūm.

B

Occu-

Occubuit puerogenitor citò, ruris proinde,
Et mox bella sequi cura laboriq; fuit
Deserto atq; inopi, fessos curare caballos,
Ferre arma, esuriem saepe sitimq; pati,
Algere & sudare, quati, excussumq; subinde
Ingemere, & freni lorat tenendo trahi
Seminecem lacerumq; diu vigilare, perennes
Deliciae pueri saepe fuere rudi.
Nam pueros sibi dilectos prius ipse Ichoua,
Instar Iosephi, vult mala multa pati.
Præfectos alijs quam certa ad munia tollat,
Qui puer est dominus, seruiet ille senex.
Nescius est regni, parere ignarus, & exlex
Qui quæcunq; iubet cœca libido facit.
Liber ei nemo est, qui, in libertate perenni
Ante homo quam foret, est cultus ut ipse Deus.
Nemo mali ignarus miseris succurrat ut æquum est.
Et grauis est cuius, qui nihil ipse tulit.
Goniades testis, Bellone & castra secutus,
Passus saepe famem, frigora, flagra, sitim.
Atq; ideo reliquo mortalis tempore vitæ
Ex animo miseris fautor & equus erat.
Vidit & ingemuit Meti hoc vicina Mosella,
Obsessa auspicijs Caroloquinte tuis,
Viderunt alij, vultu Mars risit acerbo:
Sed Musæ occultis ingemuere sonis,

Gonia-

Goniadenq; armis sensim & calcaribus orbum,
Duxere arcanis in sua castra vijs.
Hic ille assiduo studio inuictoq; labore
Aonij factus pars quotacunq; chori est.
Maiores revereri, aequalem ferre minori
Parcer sincero pectore promptus erat.
Hinc condisc pulis carus, carusq; magistris,
E reliquo emicuit, gemma ut eoa, grege.
Goniaden tamen ante alios Themhardus amauit,
Arcanasq; illi sepe reclusit opes
Europie, Sophie, et veræ pietatis, in illis
Papicolarum etiam pontificumq; scholis.
Goniades hinc Nagelium redamauit, eiq;
Præsttit integra voce animoq; fidem.
Inter utrumq; fuit que seram ad funeris horam
Mutua, labe, dolo, suspicione carens.
E patria ad sacrum mox fama Melanthonis Albim
Goniaden traxit, fama probata bonis.
Teutonice Phoenix siquidem bonus ille Melanthon,
Seu sacra tractaret, siue profana, fuit.
Doctrinamq; suam vita ipsa & moribus acris
Obsignans studio, tristia multa tulit,
Et letho grauiora quidem, quibus attamen ipsis
Bascanie est nullis trux saturata modis,
Manibus innocuis quin insultaret, eumq;
Non sineret dulci seu quiete frui.

Goniades quos detestans, per sepe Philippi,
In iuste paſſitalia, præco fuit.
Cum nil diſimulans, testisq; oculatus, ut aiunt,
Auritusq; ſimul, talia verba daret:
Impius & malus eſt lacerans poſt fata Philippum,
Cui nullos habuit Teutonis ora parcs,
Ingenium ſeu quis diuinum, & dulcia lingua
Flumina, ſive aciem dexteritatis amer.
Seu vitam & mores ad normam examinet ipſam
Doctrinæ & puræ religionis opus.
Conſcia mens alijs, non ipſa ſcientia paſſim
Deficit, & rhetoris conſona vita DEI.
Que tria corde uno Phœnix coniuncta tenebat,
Non illinc ullis diripienda modis. (bim,
Hinc poſquam ad rapidum hic Phœnix obmutuit Al-
Varniadum roſcas ille petiuit aquas.
Hic ubi Burenium audiuit cygnea canentem
Sæpe mele, nec non Nenniadenq; ſenem.
Atq; alijs, quos tum Phœbi nutribat alumnos
Cura patrum patriæ, Balthiacæq; Rhodi.
Non etenim ad ſummas, ut nunc fit, protinus artes,
Illotis manibus ſeu pedibusq; ruit.
Sed prius addidicit linguas, mentemq; decenti
Sophroſyne excoluit, litterulisq; bonis.
Quis ſine qui Sophiæ celsas contendit ad arces,
Absq; volat pennis, it ſine crure miser.

Exſtruit

Exstruit in glacie turres, et retibus auras,

*In medio aut refugas aequore captat aues
Sed sancte imprimis posuit fundamina linguae,*

*Qua sibi cœlestes pandere posset opes,
Codice comprehensas sacro. atq; interpretis exsors*

His epulis animæ delicijsq; frui.

*Nomine quo celebris, quot habet Germania, linguae
Istius eximiæ cognitione viros,*

*Longum iter inceptans, adiit, sibi plurima nunquam
Discere, vel quouis tempore, turpe putans.*

Doctor hinc rediens, teneram et velut ante juuentu-
Erudiens, ludi virgea sceptr'a tulit.

*Atq; ubi yveslingus senio confectus obiisset;
Muneris illius est jussus obire vices.*

*Paruit ille lubens, hacq; in statione locatus
Scripturæ studuit fontem aperire sacrae.*

*Et juvenes Ebræa docens, qui discere vellent,
Finxit ætatis tempora curta sue,*

*Contentus modicis, nidum extra tendere pennas
Inscius, in propria pelle quietis amans.*

*Nec minus interea plantarum et ruris amator,
Atq; horti cultor perstudiosus erat.*

*Corpo robusto et pulcro tolerare labores
Impiger, haud propriæ dissimilator opis,*

*Gratificari alijs si qua re posset, in illa
Promptus erat studio sollicitaq; fide.*

Nelſt-

Nil simulare solens, nil fingere, nil blandiri,
Congrua sed cordi vox faciesq; fuit.

Vxoris mortem, proprioq; in corpore morbos,
Et mala plura animo sat paciente tulit.

Quia sine si virtus vidua est viriute, profecto
Geniadæ haud virtus manca fugaxq; fuit;
Sed constans, atq; innocuis decorata triumphis,
Quos merito unius cor patientis agit.

Geniadæ cor quale fuit patiensq; piumq;,
Tum quoq; cum vino mortua vita foret.

Cum scelo yrbe ægrum premeret, maciesq; secuta
Atrophiam & tabem morti aperiret iter.

Quam tamen ille, instar lychni sopitus, acerbam
Non sibi vel minimum sensit adesse grauem.
Cumq; videretur Deus esse remotior, ipsi
Proximus auxilio tum fuit ille suo.

Transierat, cum se non dum pæne ire putaret.
Cum pugna inciperet primula, victor erat.

Quæ sepe & citò fructifioat citò deficit arbor;
Sic quoq; Geniadæ mors properata fuit:

Nec properata nimis. neq; enim properanter obire
Creditur, in patriam quem Deus ipse vocat.

Goniaden etiam velut ex statione vocauit.
Cuius laus veré maxima iussa sequi est.

Si bonus est finis, bona cuncta fuisse putentur.
Sub tumuli lateant cetera tecta cauo.

Sic

Sic pietas mandat: mos cunctorum iste honorum est.

Dispereat cassos lumine qui violat,
Festucasq; mei cupidè qui carpit amici,
Heu cæcus proprias dinumerare trabes.
Impia censura est, quam culpa redarguit ipsam,
Insens sit censor qui velit esse meus.



IN STRUCTVRAM nullius fundamenti.

Parietibus vacuis & surdis tradere scannis
Ne & idear tanti tam graue vatis opus,
De quo Stigelius pridem iactare solebat
Quod nullum in mundo clarius esset opus;
Cesso lubens, studijsq; bonas melioribus horas
Do, donec placeat pluribus iste labor.
Interea tu qui solidi fundaminis expers
Icare ad alta volas, perge volare miser,
Grammaticæ & logicæ ignarus, linguæq; latine,
Vexator Prisci nec tolerandus Ani.
Fla sine mente sonos, sine pondere verba profunde,
Et bene te nimium differuisse puta
Implicitis de dogmatibus, de iure Deoq;
De logicis, physicis, rhetoricisq; loquax.

Si modo differere est, cum verba audacula iactat
Semiuit eloquio futilis, arte rudit.
Omnia qui nouit, quoniam sibi nosse uidetur
Omnia, cum solida nil ratione sciari.
Quisquis es, en tibi tempus erit cum vulnere cautus
Agnosces proprio te nocuisse tibi,
Non mihi, qui magna tibi cura acriq; labore
Arcanas frustra pando Maronis opes.
Quamuis in patria in primis mala tanta redundant,
Ad clauum cuius sepe sedebit incers,
Sentine cui vix Palinurus credere curam
Auderet praestans arte fidicq; senex.
Fallor an & miserum Phaeontis poena sequetur,
Narcissus adeo, Dædalidæque malum?
Certè si nostro dialecticus audit hic æuo;
Si logici talis nobile nomen habet:
Et mihi cantor erit fandi plane inscius infans,
Et choragus recteo qui nequit ire pede.
Infelix ô posteritas! modo si qua futura est.
Barbaries prodromis ô violenta tuis!

N. Chytræus dolens & volens F.

tt

itus

nt,

0

0

0



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn895879980/phys_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895879980/phys_0029)



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosook/ppn895879980/phys_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosook/ppn895879980/phys_0030)



Serere est, cum verba audacula iactat
r eloquio futilis, arte ruditur.
nouit, quoniam sibi nosse uidetur
cum solida nil ratione sciatur.
, entibi tempus erit cum vulnera cautus
s proprio te nocuisse tibi,
qui magna tibi cura acriq; labore
s frustra pando Maronis opes.
patria imprimis mala tanta redundant,
cum cuius sepe sedebit iners,
vix Palinurus credere curam
præstans arte fidiq; senex.
miserum Phætonis poena sequetur,
c adeo, Dædalidæque malum?
o dialecticus audit hic æuo;
talis nobile nomen habet:
or critandi plane inscius infans,
tus recto qui nequit ire pede.
ritas! modo si qua futura est.
prodromis o violenta tuis!

Chytræus dolens & volens F.